

sur eo, quod cervæ in locum illius supposita fuit, Diana immolata.

Nullum
bellum
tam occulte
paratur
quin hosti
innotescat.

ORBE LOCUS MEDIO] *De expeditione in Trojanos haud dubie magna fuit fama, tam in Phrygia & in omnibus finitimis regionibus, quàm in Græcia. nullum enim bellum tam occulte parari potest, quin præcedat fama. in bellis autem multa sunt suspiciones: multa accidunt stratagemata: quod ut significet Ovidius, fingit domicilium famæ inter cælum & terram, ubi omnia audiuntur, omnia divulgantur, alluditq; ad proverbium, Multa belli inania, cum ait:*

Illic credulitas, &c.

FAB. III. FECERAT HÆC &C.

De Cygni & Achillis certamine: & de
Cygno in avem.

Cygnus invulnerabilis.

Cygnus cum interfuisset multis præliis, nec ullum unquam vulnus accepisset, denique & in bello Trojano citra vulnus esset extinctus, fabulis Poetarum celebratus est, non modo ut fortis ac strenuus, sed etiam ut in omni vita invulnerabilis.

Telephus vulneratus & sanatus Achillis hasta.

OPVSQVE MEÆ BIS] *Telephus Achillis hasta vulneratus & sanatus est, ut Ovidius alibi testatur his versibus:*

*Vulnus Achilleo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelius hasta tulit.*

Hanc ob causam ita gloriatur hic Achilles de sua hasta, quod eam Telephus bis senserit. Plinius scribit Achillem à Chirone doctum, curasse Telephi vulnus per decussionem ferri. naturam enim ferri stipticam esse, ideoq; eius vimaturam emplastris plagarum adhiberi.

FAB. IV. ET V. HIC LABOR &C.

De Cæneo in virum invulnerabilem &
deinde in volucrem.

Magnorum